

cipua rerum naturalium affectio, passim occurrens, & plerumque sub certâ mensurâ considerari solita, quæ tanta vel quanta propriè dicenda foret, abstractâ voce brevitatis ergò *Quantitas* appellatur. Quem tropum procul dubio non advertentes Scholastici Quantitatem generaliter & abstractè sumptam (nec quicquam reclamante Aristotele) per *Extensionem* definiunt, cum tamen *extensio* sive *magnitudo* in specie *Longitudo*, *Latitudo*, *Profunditas*, unicam tantum *Quanti* (h. e. ipsius subjecti, cui *Quantitas* inest) constituat speciem, de quâ non minùs ac de cæteris *Quanti* speciebus, (gravitate, potentiâ, pretiositate) *Quantitas*, tanquam affectio, prædicatur, cum dicitur, *tantam esse extensionem tantam longitudinem, tantam latitudinem aut profunditatem*, perinde ac aliàs, *tantam esse gravitatem, tantam potentiam, tantam pretiositatem*, esse dici solet. Tantùm abest, ut *Extensio* *Quantitatem* generaliter & abstractè sumptam, quam Aristoteles ex *Mathesi*, quod sit *id, à quo res dicuntur quanta*, generalissime definit, sola constituat & absolvat. Quæ quidem tropi pro veritate sumptio quantum damni dederit *Mathesi* quantasque difficultates extra *Mathesin* post se traxerit, dici non potest.

§. 3. Cæterùm cum nihil existat à divino Numine conditum, aut ab ipsis etiam hominibus constitutum, quod certam & determinatam in se non habeat rationem, licet nos eam non semper assequi valeamus; facile constat tamen *Quantum* in hoc sensu tam latè patere, quàm late patet *Ens*, h. e. *unumquodque*, seu quicquid est in rerum naturâ, aut esse potest, adeoque nihil esse quod abstractam *Quantitatis* rationem in hoc sensu non sustineat, *Quantum* vè eatenus dici non possit, sive sit ex genere rerum naturalium, sive ex genere moralium, sive ex genere notionalium. Quâ quidem

B

com-